quod ciuitas pendere ludimagistro erat solita.

Hospitalia sunt duo, quorum alterum ad Ecclesiam S.ti Antonij pertinet, quam Romę prope sanctam Mariam Maiorem Gallorum natio tenet. aliud à ciuibus Amerinis laycis administratur; ex Epi tamen auctoritate pleraq aguntur, et expensi, acceptiq rationes ad eum referuntur. Neutrius domus magnopere est hospitalis, partim tenuitate fructuum, partim peregrinorum infrequentia, quod Ameriam extra regiam uiam sitam, raro quisquam diuertit. ~~Tamen in eo~~ In eo tamen hospitali quem ciues administrant, interdum egentes ægri curantur, atq aliquot exposita pueri aluntur, reditusq omnes satis pie, integreq administrantur.

Laicorum sodalitates in urbe sunt undecim, quæ ad publicas supplicationes suo quaq cum insigni, conueniunt. Harum aliæ ferendis ad sepulturam cadaueribus, ijsdemq humandis operam prebent: aliæ uinctis, et carceribus clausis, collecta stipe, subueniunt, et suplicio damnatos solantur, deducunt, ac demum etiam eorum corpora terræ mandant. Aliæ honestos homines, qui cum in summa egestate uersentur, à mendicando tamen pudor deterret, ope qua possunt, ex collecta item stipe, iuuant. Aliæ alijs pijs officijs dant operam, et quæ à sanctissimo sacramento nominatur, ad eius cultum cereos comparat, delatumq ad ægros officiose comitatur.

Monasteria Monialium in ciuitate sunt quinq. S.te Catherinæ, S.ti Stefani, S.ti Manni, S.te Monicæ, S.te Elisabet. tres priores ordinis S.ti Benedicti; aliud S.ti Augustini; aliud S.ti Francisci, earum quæ Tertiariæ uocantur; quæ tamen in parem cum reliquis clausuræ disciplinam redactæ sunt. ex his Moniales, quæ S.ti Manni dicuntur, curæ Monacorum Cassinensium et Abbatis S.ti Pauli extra mœnia urbis Romæ, sunt commendatæ. Aliæ ad meam curam pertinent, egentes omnes